



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

Ad Lectorem.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

AD  
LECTOREM.

**M**ilitiam esse vitam hominis, Benevole Lector, tamen Job, & ipse totus sub armis sudans, non assereret; diurna, nocturnaque, quæ committimus prælia, non sinunt dubitare. Quid aliud maternus est uterus quam domestica palæstra; in quâ novem mensibus, velut tyrones, ad gravissima quæ impendent certamina, umbratilis pugnæ simulacro quasi præludimus. Quo temporis spatio confecto nascimur, id est, in campum pugnaturi progredimur. Vix aspicimus amicam lucem, & mox incurrimus in hostem. Ipsa, in quibus ploramus, incunabula, sunt prima, quæ occupamus propugnacula. Jam instabiles pueri, ponimur veluti stationarii milites, in præsidio stativo, antequam possumus cadere, & dum possumus, quanti nobis stat, non cadere. Quod si ita est; si hic, in quo degimus, mundus, sit veluti Martius, in quo confligimus, campus; si vita, est militia; si homines, milites: ne nostra vita non tam sit, quâ pugnamus militia, quâ peccamus malitia; ut sub signis Christi pugnas ejus pugnemus fortiter; ut vindicamus feliciter, sub ministro pro quot diebus anni, unam, quæ militibus est familiaris Tesseram. Cujus vis verbi, ut tibi sit explorata, ejus originem paucis suggeram. In militia olim dicebatur Tessera, symbolum, quo focii ab hostibus, & exploratoribus dignoscebantur. Ea autem (ut vult Polybius) erat tabella, quàm Tribuni militares, sub noctem ab Imperatore acceptam, ad Centuriones perferrebant: Centuriones autem ad Decuriones;



*Ad Lectorem.*

nēs; & ii rursus ad unumquemque suæ decuriæ militem: à quibus rursus, antequam se intenderent tenebræ, ridebat ad Imperatorem. Hinc Virgilius: (a) *Te bello tessera signum.* Qui verò illud signum bellicum, per contubernia militum nuntiabat, Tesserarius appellabatur. Jam verò cum nos simus milites Deo exercituum auctorati; & à Christo, velut supremo Archistratego centuriati; multum refert, ut prælia Domini fortiter præliemur; quolibet die habere in promptu militarem veluti Tesseram, quæ non, ut fit inter milites, unâ tantum constet voculâ, sed contractâ sententiâ, quæ memoriæ altum impressa, & per diem sæpius animo expensa, & ore repetita, acuet & ad pugnandum contra hostes audaciam; & ad vincendum hostes fiduciam. Illum morem fuisse solemnem, inclytis Christianæ militiæ signiferis, quasi in bello contra aëreas potestates principilis, restantur facti Historiarum Annales. Sic D. Francisco erat pro Tessera, illud sacrum acroama: *Deus meus, & Omnia.* Matri Theresiæ: *Aut pati, aut mori.* S. Ignatio: *Ad majorem Dei gloriam.* Alii alia, vel è cælo hausta, vel à Spiritu sancto suggesta, vel è Divinis paginis selecta pronuntiata, erant pro Tessera. Hæ, aut similes sententiæ, quas ego, quia milites sumus, Tesseris indigito; sæpè dum ab hostibus nostris importunius oppugnamur, ingeminatæ, & quasi jacula in adversarios contorta, incredibile dictu est, quanti sint ad exsuscitandum animum ponderis; quantumque ad alacriter confligendum subministrant roboris. Hæ etenim ponderosæ in summa brevitate sententiæ, animum à rebus humilibus sevocant, & cælestia stimulant: quibus homo, vel per modestiam se submittat, vel per a-

(a) 7. *Aeneid.*



*Ad Lectorem.*

morem attollat, vel ad metuendam Numinis Majestatem, vel ad amandam ejus Bonitatem, vel ad sperandum in ejus Misericordia, vel ad gratias agendas ejus beneficentiæ, vel ad implorandum præsidium, vel ad petendam gratiam, ad alias denique animi affectiones declarandas plurimum conducunt. Sicut enim olim in castris militum profanorum serviebant Tesserae, ut symbolum, & signum; quo socii milites dignoscebantur, & ab hostibus secernebantur; ut pro quibus, & contra quos dimicarent, ipsi facillè dijudicarent; atque ita multæ & hostium expeditiones, & exploratorum insidiæ fuerunt detectæ: eandem quoque vim obtinent sacrae nostræ militiæ, quas quot diebus suppeditamus, Tesserae. Illæ enim detegunt & dæmonis strophas, quibus nos circumvenire; & mundi technas, quibus imponere; & carnis illecebras, quibus nobis noxiè solet lenocinari. Variæ olim, à variis diversarum gentium Dynastis, traditæ sunt militibus Tesserae. Fuit in memorabili illo, inter bina Belli fulmina, Cæsarem, & Pompeium, prælio, Tessera Cæsaris, illud triumphale verbum, *Victoria*: Pompeiji verò militibus, *Hercules invictus*. Fuit illa Tessera fausti ominis, Cæsari, qui vicit: infauti Pompeio, qui victus est. Bruto, in Philippis pro Tessera fuit, *Apollo*; Cyro, *Jupiter, belli Dux, & socius*: D. Antonino, *Aequitas*: Severo Septimo, *Laboramus*: Pertinaci Imperatori, *Militemus*. Claudius Cæsar, Græco versu definivit Tesseram, in hæc verba: *Virum ulcisci decet, qui prior injuriatur*. Manuel Comnenus Imperator, noctu Turcas invasurus, hanc Tesseram exercitui, in nocturno conflictu dedit, ut exclamarent, *Ferrum*; ut suos, eâ voce agnitos, inviolatos



*Ad Lectorem.*

præterirent: alios verò, qui taciti accederent, occiderent ut peregrinos, Tanti in militia est momenti, militaris Tesseræ, ut potiaris victoriâ. Non minoris erit in nostra, quâ (a) *non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi Rectores, tenebrarum harum.* Calpurnius Choræa, Conjuratorum Princeps, Tesseram suis dederat in necando Cajo, quasi victimam diis gratam futuram immolaturis; *Hoc age.* Et tu miles Christiane, ut consilio Pauli, (b) *bonum certamen* certes, interficias inimicos; sume quotidie, quâ te animes, hostes exanimas, Tesseram, hoc est, vel quæ te ad virtutem promoveat, vel à vitio removeat, sententiam; & erit tibi præsentissimum subsidium, ad obtinendam incertamine lauream. Depromamus è nostro penu unam aliquam Tesseram, verbi gratiâ, hanc D. Chrysostomi: *Primum malum est esse malum.* Quod si vix illius Tesseræ, penitus intelligendo, percipias; & intellecta, vera esse tibi persuadeas; quàm multa vel quæ tibi videtur, vel quæ inimici tui suggerent tibi esse mala, levi brachio eludes? Si illo die, te morbus infestet; si calamitas aliqua invadat; si pecuniæ jacturam facias; si fama lædatur, nomen traducatur; & illa, vel inimicus, qui te oppugnat; vel Ratio quæ errat, tibi persuadere satagat, esse mala; oppone velut elypeum, hoc militare symbolum: *Primum malum est, esse malum.* Certò igitur credens, nulla posse tibi esse mala; si ipse non sis malus, animos inter illa, quæ putantur mala, non abicies, sed potiùs contra illa eriges; atque adeò hujus unius Tesseræ præsidio, eris inter præsentissima pericula, tibi ipse præsens; eris inter terribilia,

inter-

(a) *Ephes. 6.12.* (b) *2.Tim. 2.*



*Ad Lectorem.*

interritus; & totius, veluti aciei pondus in te incumbens, bellique molem, hâc unâ Tesserariâ sententiâ, instar Horatii umbone sistes. Hæ Tesserae docebunt nos, qui sub Christi aquilis meremus, stare quasi in prima acie, perferre promptiores, quàm inferre mala; contumelias, verbaque probrosa, ut missilia tela, & saxa, sine vulnere circà galeam crepitantia despiciere; contemnere sui ipsius contemptum; gravissimos morborum dolores, hoc est, mortis præludia eludere fortiter tolerando: denique contra omnia hæc infirma mundi, firmare gradum; totoque animo petere cælum. Sic tibi erit quælibet Tessera, capiti galea, pectori lorica, sinistrae elypeus, dexteræ gladius, pro corpore, & anima, (a) *Dei armatura*. Porro, quia varietas delectat; ne tibi desit & inde delectationis materia, varia quotidie suggeritur Tessera. Unde, si quot diebus, unicam illius diei Tesseram mandaveris memoriae, quo nihil est expeditius; cum tot sunt Tesserae, quot per annum dies; qualis, exeunte anno, inde accrescet selectissimarum sententiarum strues? Ne verò Tesserae sensa sint nimis obscura, atque adeò minus perspecta; ago illorum interpretem; quæ dum explicatiùs, fusiùsque expono, piè pro illo die, seu Meditationis, seu lectionis materiam subministro. Denique quia nihil est, quod aures sic capiat, & animos rapiat; ac discors vocum, seu nervorum concordia. (Inde enim exurgit quædam flexamina Harmonia, in qua dum verba numerosè sonantia similiter desinunt, aures mirificè afficiunt) idcirco, ut moralis doctrinæ, quam propono, placita magis placèrent; placuit illa in fine, harmoniæ ritu

)( 4

expli-

(a) *Ephes. 6. 11.*



*Ad Lectorem.*

explicare; & ut simul memoria committerentur facilius, & imprimerentur altius; consilium fuit rhythmicis versibus, quos *Leoninos* appellant, proponere. Sic enim modularè per modum symphoniae proposita; & quia delectant, audiuntur cum plausu. Non igitur, sine causa Antiqui olim nihil habuerunt antiquius; quàm cum vellent arcanae sapientiae monita (ut fecit Cato Major) inuri mentibus, eadem exponere versibus. Itaque, hæc multiplex versuum varietas, & rhythmorum musicus concentus, tria complectitur bonorum genera: Utile, dum docet; Jucundum, dum oblectat; Honestum dum movet. Ut igitur, salutaria illa Ethicæ, juxtà ac Asceticæ doctrinae monita, suavius in animos influant, sic, ut nunquam affluent; ordior illa ab oratione soluta, & concludo oratione strictâ. Accipe ergò, benevole Lector, hæc ex variis Auctoribus conflata, correctâ, & ad suas classes reductâ, moribus expoliendis utilissima sacrae militiae dogmata. Quæ si sint ad animi & oblectamentum, & emolumentum; interpretabor me in hoc quali, quali opere non inutiliter impendisse operam. Vale; & alteram, quæ totius operis seriem complectitur paginam, si libitum est, lege.